

§. III.

De Scholis Adelbergenibus.

Nihil equidem ardentius in votis habebat devotissimus Ulricus, quam domum devotioni publicæ destinatam ad fastigium brevi deducere; sed decumanos res ista exegabat labores, & pauperies magna, qua laborabat, majores penerit curas, adeò ut non nisi post annos complures Ecclesiæ navim portui ter optato applicare potuerit, licet in remigando omnes intenderit nervos, sed frustra, quia scilicet defecit nervus aureus. Interim vero ne, dum operarii instabant operi, Fratres sui federent otiosi, ad lucernam Aristophanis operari voluit. Scholas igitur erudienda juventuti aperuit, ut foret omnes turpissimo inscitæ monstrō præcluderet, atque Reipublicæ res firmiori starent pede, si Principes philosopharentur, & Philosophi dominarentur. Nec solum de plebe triviali pueris hæc Palladis togatae atria sunt trita, verum & purpureum primæ nobilitatis sagum Musarum Adelbergenium gynæcæo commisit surculos, ut in viros excrecerent orbi Teutonico utilissimos. Quin Fridericus ipse Imperator maximus Philippum Filium suum natu minimum (qui postea & ipse variâ licet fortunâ imperium tenuit) ad junctis ipsi tribus nobilissimis ephèbüs Adelbergenibus erudiendum tradidit. Sic enim verò Adelberga ephèbos nondum egressa caput efferre poterat; sed juventus nobilis supercilium ponere necdum didicerat. Rudolphus Magister optimus erudiendæ præerat, qui, quoniam ad ultimum usque apicem disciplinæ oculatior erat, iniquo à discipulis oculo notabatur, donec occasio ferret, tetricum, ut quidem putabant, Catonem inter opaca nemorum armata manu aggrediendi. Cùm igitur Rudolphus animum curis scholasticis gravem condensas inter arbores in Tobelwifen exonerare vellet, irruit super eum sclerata pubes, pedagogum nil tale opinantem prosternit, accepta verbera reduplicat, & tandem Argum suum exoculat, manu quidem ingrata, sed grato obsequio, quod fecit, ut hominum ingratissimos non viderit Rudolphus. Fugâ tibi post facinus tam atrox consulentes, manu ferulae subtrafactâ, utroque pede in cassis inciderunt. Fridericus anim Imperator deprehensos è fuga retraxit, tetrorimo carceri mancipavit, & livida fame scelus eluere coëgit, è carcere tandem ad multorum preces liberos dimisit. Aula tamen Cæsarea ut vel semel amplius pedem inferrent, nunquam permisit. Cassianum proin aut Joannem Scotum in Rudolpho vidit Würtembergia; nos verò protervæ juventutis, in Magistrum suum adeò crudeliter acuminosæ, tergo illud Raderi in sua Bavaria Sancta Vol. 3. notatum & notum Epigramma appendimus, ut tali saltē stilo signatam cavere, & similem turpissimæ ingratitudinis notam præcavere dicat juventus nostra.